

**Orationem ex Harveii instituto in aedibus Regalis Medicorum Collegii
Londinensis : Ill nonas Julias M.D.CCC.L.I / habebat Joannes Spurgin.**

Contributors

Spurgin, John, 1797-1866.
Royal College of Physicians of London.

Publication/Creation

Londini : Vendunt Joannes Murray et Joannes Churchill, 1851.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/j3j5hj8n>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.


You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

M
8375 (EY)

Haw. Or.



2210122226

WELLCOME
LIBRARY

General Collections

M

8375

ORATIONEM
EX HARVEII INSTITUTO
IN ÆDIBUS
REGALIS MEDICORUM COLLEGII
LONDINENSIS

III NONAS JULIAS CIO.IO.CCC.L.I

HABEBAT

JOANNES SPURGIN M.D

CANTABRIGIENSIS

EJUSDEM COLLEGII SOCIUS ET IN PHILOSOPHICAM
SOCIETATEM CANTABRIGIENSEM ADSRIPTUS



LONDINI

TYPIS EODEM MENSE ET ANNO EXSCRIPTAM

VENDUNT IBIDEM

JOANNES MURRAY ET JOANNES CHURCHILL

ALIIQUE PASSIM BIBLIOPOLÆ

[1851]

Harv. Or.

B.Z.P. (Harvey)



INSTITUTE
BRARY

LONDINI
GEORGIO PHIPPS, TYPOGRAPHO
RANELAGH ST. EATON SQUARE

JOANNI AYRTON PARIS M.D

REGALIS · MEDICORVM · COLLEGII

LONDINENSIS

PRÆSIDI · DIGNISSIMO

OMNIBVS · ITEM

EJVSD · COLLEGII

SOCIIS

HANC · ORATIVNCVLAM

OMNI · QVA · DECET · OBSERVANTIA

ET · GRATO · QVO · DEBETVR · ANIMO

OFFERT · COMMENDAT · DEDICATQVE

JOANNES SPVRGIN



Digitized by the Internet Archive
in 2015

<https://archive.org/details/b21779582>

ORATIO.

SI eadem dicendi facultas, Socii ornatissimi, eademque verborum elegantia ab omnibus iis, qui munus hodie mihi demandatum susceperint, pariter requirerentur, haud equidem me satis idoneum existimarem qui in concionem escenderem, apud hunc gravissimum et amplissimum cœtum orationem anniversariam Latine habiturus. Quum vero satis cognitum habeam, quam benigne quicumque pro viribus hanc personam et has partes sustinuerint semper a vobis auditi sint, vestrâ fretus benevolentia, operis suscepti, ne forte oratio in ipso exordio molesta videatur, initium faciam.

Omnes igitur homines, Socii, unâ voce consentiunt nihil esse usquam luce Veritatis dulcius, nihil exoptatius, ideoque nihil diligentius exquirendum; inde enim profecto fluere omnem veram sapientiam. Nam quotiescunque mens humana vel rebus obscuris angitur, vel dubiis distrahitur, vel etiam falsis vexatur, tum quidem Veritas, tanquam Aurora ex profundo emersa, nubibus tene-

brisque fugatis, proprio splendore effulget; quum lux sit oculis idem quod menti est Veritas. Quemadmodum vero quæ falsa sunt nec veri quidquam nisi speciem habent, quasi ignes fatui, animum tantummodo in errorem abducunt, ita quoque quæ dubia sunt, velut nubes et umbræ, nostram intelligendi vim obscurant. Ignorantia autem, ipsa noctis effigies et imago, omnes animi virtutes tenebris atque caligine obruit.

Inest quidem sensibus nostris, tum internis tum externis, ea percipiendi facultas quæ non solum quæ bona sint, sed et quæ in Veritate recondita mentem delectent, arripere atque amplecti potest. Itaque ut auris, quantumvis indocta, musicos modos sentit vocumque concordiam, quibus animus confestim movetur; ut palatum jucundum cibi et vini saporem; utque nares odorum suavitatem; ita quoque mens, sine ullâ dubitatione, et quæ vera sint et quæ rerum naturæ convenient, cernere potest atque internoscere. Hæc enim interiores animi affectus concitant, adeo ut, quotiescunque ipsa conspicitur Veritas, gaudio statim ac lætitiâ afficiamur.

Quod vero nobis ita menti cognatum videtur, id quidem non est idea in se absoluta et perfecta, sed affectio quædam: idea enim per sensus corporis eorumque organa semper addiscitur, semperque formatur.

Quæcunque autem in philosophiâ vera sunt, eadem mentibus hominum bene constitutis non jucunditatem solum, sed et delectationem quandam afferunt; habent enim in se, ut ita dicam,

omnium Gratiarum pulchritudinem et venustatem: quod ipsum oritur ex eo quod inter ea quæ vera sunt et ideas inde ductas mira quædam concordia facta sit. Nam Veritas in se ipsâ nunquam vel unica est, vel simplex, quamquam nobis, quum omnes ejus partes inter se congruant, prorsus ita videtur; sed potius constat ex iis quæ vera, numero fere infinita, inter se apte et concinne juncta sunt.

Inest præterea in omni rerum junctarum concordia ea natura, ut res singulares, quum recte sint dispositæ, in unum quasi corpus coalescant, et unam prorsus rem conficiant. Multa hujusmodi exempla nobis suppeditant æquationes, quæ vocantur, Algebraicæ; quæ quamquam complures numeros signis suis connexos includunt, tamen in suâ quæque serie spectatæ, non aliter atque unicæ et simplices habentur. Atque hoc idem quam bene, quam pulchre, comprobatur humani corporis structura! Quis est enim qui ignoret in quam multas et minutas particulas id dividi possit, quarum unaquæque per se plena atque integra videtur? Nihil est quod memorem cerebrum, cor, renes, hepar, lienem, pulmones, ventriculum; quæ quum singula quodammodo sint per se perfecta, omnia tamen, ut suis quæque fungantur officiis, aliud alio nituntur. Et de omnibus in rerum naturâ formis eodem plane modo disputare licet. Quæ enim res quatenus ex aliis numero fere infinitis recte inter se subjectis connexisque coalescunt, eæ reverâ eatenus existere dicuntur: itaque de iis proprietates,

qualitates, modos et mutationes, prædicare possumus. Hujusmodi quidem sunt vera; quæ quo plura, quo constantiora sunt, eo clarior, eo venustior Veritatis inde ortæ lux exsurgit.

Constat ergo ex iis quæ jam dicta sunt, Veritatem nusquam nisi cum veris numero fere infinitis patescere posse; eam enim ex his omnibus esse conclusionem effectam: et præterea hanc conclusionem nullo modo, nisi ad omnia quæ eam constituent et definiant, Veritatem esse habendam. Neque enim Veritas se respicit in se ipsâ, sive in conclusione solâ, sed etiam in omnibus veris ex quibus conclusio effecta est. Unde sequitur ut, quibuscunque causis vera illa afficiantur, iisdem Veritas ipsa variari et distingui possit.

Haudquaquam vero negandum est, quæcunque vera sint, eadem esse et constantissima et immutabilia; atque ea quum naturalia tum moralia: quæ quidem omnia cum perfecto Universi ordine concinunt. Sed in regno animali, sive in hominibus, tanquam in *μικροκόσμῳ*, tot ordines statusque diversi inveniuntur, quot sunt mentes humanæ, quæ omnes aut propius ad Universi ordinem accedunt, aut ab eo longius declinant.

Influunt autem ordo et Veritas in mentem humanam, quâ libenter accipi possunt. Quis est enim qui nesciat mentem suam ita naturâ esse comparatam, ut VERITATEM—præclarum illud Dei munus—cernere atque accipere, minime vero ex se ipsâ vel creare vel excogitare, possit?

Quum vero mens humana Veritatem neque cernere neque accipere velit, quot quidem dubiæ, quot incertæ, quot falsæ de omnibus rebus opiniones habentur! Atque id adeo ut omnis cognitio nostra et scientia conturbentur, hominesque de verissimis dubitent: immo nonnunquam etiam jurgiis, de quibuscunque rebus, inter se certare sint parati! Itaque Veritas ipsa, quotiescunque in controversiam venit, in magnum quoque discrimen adducitur. Unde fit ut, quæ in mente nostrâ pro veris habentur, ea quidem rationes potius nominanda sint; quo etiam nomine appellari solent. Hactenus de Veritate ipsâ: sed quomodo sit investiganda jam paucis expediam.

Veritatis igitur investigandæ ratio duplex est: Synthetica, quæ dicitur, altera; altera Analytica.

Synthetica ab ipsis rerum principiis causisque ad phænomena et effectus descendit; itaque a prioribus ad prostrema; a simplicibus ad composita; a superioribus ad inferiora; ab interioribus ad exteriora; sive — id quod eodem redit — a generalibus ad singularia progreditur: inde ad experientiam, quæ priora confirmare possit, tandem pervenit.

Analytica contra a phænomenis et effectibus ad causas ascendit, unde principia evolvat: itaque ab experientiâ singularium, generalia; ab exterioribus, interiora; a compositis, simplicia; a posterioribus priora deducit. Hinc videre licet Synthesin et Analysin inter se esse plane contrarias. Synthesis profecto earum,

quæ ex opinione, sive ex conjecturâ solâ, pendent, controversiarum feracissimam se præbuit; longe vero abhorret ab eâ lege, quam indoles mentis humanæ, in rebus occultis aperiendis, ipsa sibi præscripsit. Quæcunque igitur e Syntheticâ disputandi ratione profecta disputationibus huc illuc trahuntur, etiamsi ad tempus maneat, quam brevi tamen evanescunt, quam cito etiam e memoriâ dilabuntur! Nostrâ enim ætate, ne quid de superioribus temporibus dicam, quam multa hujusmodi, aliud ex alio, ipsi vidimus concipi, nasci, adolescere, senescere, mori—tum denique meritâ oblivione obruta jacere! Sed tamen ex eorum cinere alia nescio quam innumerabilia proveniunt: Hydra enim, quum sibi capita singula Herculeâ manu sint abscissa, continuo binis aliis augetur:

“Vulneribus fecunda suis erat illa, nec ullum
 “De centum numero caput est impune recisum,
 “Quin gemino cervix hærede valentior esset.”

Hinc undique errores, fallaces conclusiunculas, dissidia, videmus: immo in iis rebus quæ vel clarissimâ luce gaudent, caliginem densissimam invenimus, atque id adeo ut ipsæ aræ et foci sæpe polluantur! Nonne hinc quoque licet causam probabilem afferre, cur nusquam in Libris Divinis mentis humanæ philosophia ne semel quidem a Deo ipso memorata sit?

Analysis autem, ut supra dictum est, ita ratiocinatur, ut a

phænomenis, sive effectibus et factis, quæ mente nostrâ per corporis sensus percipimus, proficiscatur: quorum quasi telam retextens ad causas atque etiam ad causarum causas, sive ad simplices mentis rationes, pedetentim et gradatim adscendit. Primum enim exquirat documenta certa atque evidentia, quæ quidem undique sparsa, colligit et coacervat; unde rursus deligit quæ recte atque ordine componere velit. Omnia deinde disciplinæ studia, omnes artes liberales, quibus ingenia hominum institui et imbui possunt, non memoriâ tantum, sed pectore etiam, e fontibus haurit atque imbibit; quæ tamen semper eâ lege tenenda sunt, ut quamcunque scientiam divinarum humanarumque rerum, quamcunque sapientiam consequamur, eâdem, unâ cum vitæ integritate et morum sanctitate, hominum utilitati consulant.

His igitur, quas vera præbet Analysis, copiis instructa atque ornata, mens humana se accingit ad opus, quod sibi proponit faciendum. Quale profecto et quantum opus! Hic enim labor, hoc opus est, ut Mentis Templum—Templum illud Veritati dicandum—omnibus suis partibus perfectum, ædificetur.

Hac viâ nobis, Socii, progrediendum est, si speramus ad vera rerum principia nos unquam perventuros; neque enim alia ulla nobis terrâ editis aperta videtur. Longa quidem est atque ardua, si volumus ea, quæ Veritatem constituunt, omnia explorare, atque communi quasi vinculo connectere; si quoque per hæc omnia Veritatem ipsam indagare et pervestigare audemus. Sed

tamen quid pulchrius, quid præclarius, quid nobis dignius esse potest, quam ut in hoc magno opere desudemus atque elaboremus?

Caveamus igitur, Socii, ne quando simus immemores, quantum operæ, quantumque laboris prius consumendum sit, quam hoc opus, vel aliquâ ex parte absolutum, videre possimus. Cognitionis enim nostræ et scientiæ fundamenta, quam late quamque alte jacienda! Res omnes inter se accurate conferendæ, atque uno eodemque consilio complectendæ! Quæcunque doctrinæ, quæcunque artes ingenuæ, ad hoc Templum perficiendum conducunt, in has, omni studio, incumbendum; immo ex iis, quæ jam cognitæ sunt, aliæ inveniendæ atque excogitandæ: omnes denique Musæ pie sancteque colendæ. Huc quoque accedat oportet, animo insitus atque innatus, tantus Veritatis amor, ut nihil sit quod malimus, quam ut eam non solum diligenter exquirere, sed et exquisitam libenter agnoscere possimus atque amplecti. Omnes etiam corporis voluptates coercendæ; omnibus, quibus homines servire solent, cupiditatibus imperandum. Animus quoque, ut clarâ Veritatis luce perfruatur, atque ut simplex ad eadem semper contendat, ab illecebris curisque rerum avocandus: his enim in contrarias partes distrahitur.

Imprimis vero memoriâ tenendum est, omnia quæ ad vitam beatam pertineant in unâ virtute esse posita, eâ lege, eoque consilio, ut omnes omnia nostra—sive studia, sive consilia, sive facta

—ad communem fructum referre, atque ita Dei rerum omnium præpotentis gloriam exornare, debeamus.

Quicumque igitur Medendi artem profitemur, id, Socii, semper omnibus nervis contendamus, ut, sive Medicinis præscribendis, sive iisdem adhibendis, sive Chirurgiæ quoque exercendæ, eam scientiam, eamque solertiam afferamus, quæ eandem artem quum nobis honestiorem, tum præcipue humano generi utiliorem, reddere possint.

Mihi quidem, Socii amicissimi, diu multumque mecum reputanti quâ potissimum ratione hoc, quod jam aggressus sum, munere fungi possem, cogitationes hujusmodi haud sane indignæ visæ sunt, quæ vobis, hoc ipso die solemni, summâ tamen verecundiâ, proferrentur. Sunt enim abundanter confirmatæ magnâ virorum illorum auctoritate, qui Nostro Collegio nonnunquam Socii sunt adscripti; quique non solum copiâ et varietate studiorum, sed Naturæ legibus etiam perspectis, tum Medendi artem, tum etiam Medicinæ scientiam, auxerunt atque ornarunt. Qui viri præclari assidue observabant quas opes, ipsa sibi proprias, habeat Natura; quomodo iisdem utatur; quales ad consilia sua exsequenda facultates adhibeat; qualia denique phænomena nobis ante oculos proponat. Unde evenit ut, eorum ductu auspicioque Lux Veritatis animi tenebras continenter dispulerit; Scientia ignorantiam vicerit; et quæ habentur principia, quibus etiam fidem usus addit quotidianus, stabilita et fixa sint.

Optimo igitur jure, Socii, magnâ virorum illorum estimatione gaudemus, quos inter cives suos hæc Domus nostra numerare potest:—LINACRUM dico, CAIUM, SYDENHAMIIUM, MORTONUM, CROONIIUM, GULSTONUM, LUMLEIUM, SLOANIIUM, MEADIIUM, BAILLIÆUM, aliosque permultos, quorum memoriam retinemus gratissimam, et quos oratores ex vestrum numero, summâ eloquentiâ summoque verborum honore usu, iterum ac sæpius laudarunt. Quamobrem, etiam si me oratoriam vim dicendi habere putarem, hodie tamen plane supervacaneum esset alienis vestigiis—atque id profecto haud passibus æquis—ingredi.

Nequaquam vero mihi silentio prætereundus est HARVEIUS noster, vir ille immortalis, nobis tam dilectus, atque omnibus hominibus tam venerandus, quem summâ, quâ possumus, observantiâ prosequi solemus. Quis enim dignitate, ingenio, diligentia, amore etiam in Nostrum Collegium paterno, omnibus denique virtutibus, quæ istam quam colimus artem ornant, unquam fuit præclarior, quis unquam præstantior, quis venerabilior? Nemo enim nostrum nescit quam liberaliter, quam large, Ille hanc Domum nostram, agris etiam paternis testamento relictis, locupletarit; vel quot atque quanta beneficia, jam inde ab ipsius temporibus ad nostram usque ætatem, in hanc Societatem contulerit. Gratissimis enim animis profitemur ejus munificentiae deberi, quod has ædes nostras tam jucunde frequentare; quod hic conjunctione illâ inter

homines hominum et quasi quâdam utilitatum communicatione, tam sæpe perfrui, possimus.

Aliæ vero causæ sunt, et eæ quidem longe graviores, quam obrem nomen Harveianum non solum in hac Domo nostrâ, sed per universum etiam terrarum orbem, præcipuo semper honore sit habendum. Quis est enim qui illius divinitus inventi ab HARVEIO in lucem prolati unquam oblivisci possit? Quis erit etiam per omnia sæcula futura, qui Inventorem illum suspicere maximisque efferre laudibus recuset? Feliciter Ille primus æqualibus suis invitis ostendit sanguinem per arterias venasque ultro citro com-
meare; quod quidem in omnibus Medicinæ provinciis idem fere valet atque in hoc mundo nostro Sol ipse. Quum enim auctoritatis, quæ, ineptiis suis superbiens, inter animi tenebras dominabatur, vincula rupisset, tum denique, Naturâ ipsâ facem præferente, novas vias ad vera interiora atque altiora aperuit. Et quid tandem, Socii, ad hæc præclare inventa valuit ratio disputandi Synthetica? Omnino nihil! Analysis enim, Synthesi prorsus rejectâ, omnia patefecit atque omnia confirmavit.

HARVEIUS noster quidem, pariter atque alii sui temporis anatomiae peritissimi, ad sanguinem cognoscendum acriter animum intenderat; mortui quoque corporis cor, venas, arterias, omnibus eorum partibus penitus inspectis, sæpissime inciderat: qualem vero necessitudinem et cognitionem inter se ipsa et cum visceribus reliquisque corporis partibus habeant, id quidem nondum cuiquam

erat compertum. Quamquam igitur homines summæ quidem illo tempore auctoritatis, nihil vero novi patientes, quæcunque ex omni memoriâ ætatum de sanguine tradita erant, eadem strenue et audacter defendebant, Ille tamen amore veritatis incensus, nullâ reprehensione deterritus, nullis laboribus victus, acri judicio suo libere et solute uti ausus est. Quum enim facile intellexisset quam mirum in modum diversæ corporis partes inter se congruant, de vero sanguinis circuitu diu multumque meditatus, quæ mente pulchre conceperat, ea tandem vel optimis argumentis experimentisque confirmata ad omnem Medicorum et Philosophorum senatum impavidus retulit. Et ex omnibus scriptoribus qui HARVEIO acerbissime adversabantur, quis eum vel redarguere vel refellere poterat?

Prospexit Ille quantum nova doctrina sua in omne futurum tempus veram physiologiam esset adjutura; quamque dilucide, per omnem corporis structuram, causas atque effectus—quâ quidem lege pars quæque formetur, et quâ ratione aucta ad maturitatem perveniat—expositura. Eadem illa doctrina indicat etiam quo pacto ipsa hominum societas jure constituenda sit: quippe quæ quemque officia præstare oportet, ea non ad ipsius solum sed ad omnium utilitatem referenda sunt. Namque, quemadmodum sanguis assiduo suo impetu in omne corpus diffusus hominem conservat, eodem plane modo unusquisque civis omni tempore id agere debet, ut reipublicæ consulat.

Quam præclarum autem exemplum nobis in arcanis Naturæ perscrutandis præbuit HARVEIUS noster! Quantum profecto abfuit ut Ille rebus suis consulere! Non enim ita sollicitus quid alii de se sentirent, vel quantum etiam omnes fere æquales a se dissiderent, omnes eo vehementius monuit, ut experiendo potius quam disputando victricis scientiæ fines essent promovendi. Semper igitur, Socii, sit exemplum illud nobis propositum ad imitandum! Faxit etiam Deus ut, quemadmodum fuit Ille, ita nos quoque simus adeo Veritatis diligentes, ut eam, quocunque ducat, libenti animo sequamur; utque eam, quæcunque—vel contra opiniones nobis confirmatas—doceat, toto pectore amplectamur!

Pauca vero sunt, Socii, quæ, quum ad artem medicinalem spectent, hâc occasione oblatâ, prætermittere nolim. Neque enim mihi videntur, quantum equidem judicare possum, vel ab his nostris comitiis aliena, vel etiam indigna quæ homines omnium in Republicâ medicâ ordinum accuratius investigent ac perscrutentur.

Sanguis igitur, meâ quidem sententiâ, omnium quæ, sive solidæ, sive molles, sive fluidæ, corpore continentur partium apotheca et seminarium, parens et nutritor, jure appellari potest: quum nihil in corpore versetur quin prius in sanguine insit. Itaque quæcunque vel ad vitam pertinent, vel eam afficiunt, eadem ex sanguinis indole, constitutione, determinatione, continuitate et quantitate, pendent omnia: ex iisdem quoque vitiatis, sive singulis

sive universis, quasi ex fontibus suis pollutis, affirmare audeo—quod quidem, Socii, pace vestrâ dixerim—morbos derivari omnes. Nec non ex sanguine exquirendum est quâ ratione vita in omnibus corporis partibus, sive terrenis, sive osseis, sive ex aliâ ullâ materie factis, conservetur et continuetur. Medicinæ igitur peritissimus quisque, quum non solum in morbis detegendis depellendisque, sed in valetudine quoque tuendâ, iudicium suum et solertiam adhibeat, animum profecto in sanguinem, ante omnia, defigere atque intendere debet, quo melius quibus causis hæc salutis morbique origo mutetur et afficiatur comperire possit. Pro his enim causis, iisque sanguinis conditionibus inde ortis, remedia quæ morbum evellant, semper deligenda sunt.

Sin autem veram sanguinis indolem perceperimus, multæ quidem aliæ cogitationes, ex eodem fonte derivatæ, nobis protenus in mentem venient: quæ sane spectant non ad sanguinis quantitatem in corpore inventam, sed partim ad eam compositionem de-compositionem, et re-compositionem—si quidem his verbis uti licet—quibus sanguis, nullo temporis puncto intermisso, afficitur; partim ad eam tum quantitatis tum qualitatis quasi æquilibritatem, quam sanguis, viribus corporis integris, semper conservat. Hæc enim æquilibritas animum eo gravius percutiet, si consideraverimus quot causæ, tam multiplices tamque diversæ, eam pertubare possint.

Præterea fieri non potest ut sanguis ad cordis parietes distributus non nobis admirationem moveat, præsertim quum

recordemur, nusquam alibi, per omnem rerum naturam, causam ullam ex effectu suo pendere. Quod quidem hic sine dubio fiat, si—id quod omnes anatomiae et physiologiae periti usque ad hodiernum diem perperam docuerunt—cor ipsum etiam vitam suam motumque ei sanguini debeat, qui ex arteriis coronariis ad musculos parietes fluere possit. Si enim res ita revera sit, quâ tandem ratione fieri possit ut cor ex subita animae defectione se ipsum unquam colligat? Et quomodo factum est ut, in iis ipsis locis ubi arteriae coronariae in musculosas cordis partes se mergent, structura quasi valvata, quae facili patet cardine, inveniatur? ut in cavis etiam cordis multa foramina appareant, quae omnia, velut minores arteriae, infusum liquorem ad arterias venasque coronarias transmittere, et eum invicem ex iisdem admittere, possunt? Immo quae justae causae afferri possunt cur homines, arteriis coronariis vel in ossa versis, vel etiam aliena materie prorsus obstructis, diu tamen nihilominus vivant? Hoc enim plenissimo testimonio comprobatum ipsi Medicinae annales referunt.

Haec profecto, Socii amicissimi, quomodo mihi certe persuadeo, maximi sunt momenti; et ea quidem quae omnes qui nostram profitentur artem—nos autem potissimum—ad verum diligentius investigandum et perscrutandum invitant atque illectant. Hic sane ingentem HARVEII nostri sagacitatem desideramus. Utinam Ille hodie viveret; quanto enim ingenio, quantâ peritiâ uteretur, ut haec nobis omnia patefaceret et illustraret!

Quum vero sententiam meam de morborum origine breviter aperuerim, id facile, uti spero, concedetur ut pauca quoque dicam de Pharmacopœiâ nostrâ—unde quidem nobis morborum remedia quærenda—quam Collegium nostrum, anno vertente, denuo typis exscribendam curavit. Quanto enim nobis adjumento sint in morbis curandis formulæ quæ ibi inveniuntur optimæ, vel omnibus notum est: quantum autem doctrinæ et scientiæ, quantum judicii et laboris, libro recognoscendo Editores insumpserint, quo emendatior atque hac cultiore Medicinæ ætate dignior prodiret—cujus quidem rei testimonium animo prompto perhibeo—liber ipse satis ostendit.

Libens igitur, hac occasione usus, nomino ROUPELLIUM, BABINGTONUM, FARRIUM, NAIRNIUM, REESIUM, mihi quidem amicos conjunctissimos, atque inter ordinis nostri dignissimos, qui nobis hoc opus omnino ex sententiâ confecerunt, quique jam a Societate nostrâ, honoris causâ, præmio aliquo donati sunt.

Sed ut ad reliqua pergam; quæ quidem ne vobis forte molestus videar, breviter tantum perstringam.

Plurima quæ nobis cognita sunt quum de pullo in ovo, tum etiam de fœtu in utero, formando, plane demonstrant, in omnibus vitâ præditis inesse vim quandam formatricem, quæ eandem cum re formatâ cognationem indicat quam omnis causa cum effectu suo habet; et quæ cum eâ sic conjuncta est, ut inter eas nihil omnino

interesse videatur. Omnia igitur corporis membra per hanc vim formantur, ad ea præsertim officia quæ postea facienda sunt. Itaque oculus, exempli causâ, ita formatur ut legibus opticis pareat; auris, ut sonos admittat; pulmones, ut animam adtrahant et reddant. Et similiter cætera. Ex quo facile intelligitur hanc vim formatricem totidem habere discrimina quot sunt animalium genera Naturâ ipsâ procreata.

Sed tamen si singillatim explorare conemur, quam miris modis hæc vis omnia suis quæque locis consilia efficiat—quid profecto aliud sit, quam si nostrâ palmâ exiguâ Infinitatem ipsam metiri velimus? Quocunque enim mens penetrat, obditas offendit fores; et si quando patet rima aliqua, intus quidem atria amplissima ostendit, nec tamen ultra reteggit abditos illos recessus, ubi Natura in officinâ suâ intimâ ignibus perpetuis præsidet. Namque omnia animalia corpora in opere suo Chemico nedum Alchemico, sive in iis parandis rebus quibus uniuscujusque vita prorogari possit ac propagari, semper occupantur.

Nostra igitur studia, Socii, quam multiplicia, quam diffusa, quam infinita fere esse oportet, ut istam quam colimus artem perdiscere ac nosse possimus! Quam arrogantes igitur quamque inhonesti, immo vero quam improbi, hac præsertim ætate nostrâ, ii omnes habendi sunt, qui quidem omnino omnis veræ scientiæ expertes atque ignari, audacter tamen suscipiunt et profitentur se remediis vel sibi propriis, vel ægris pariter omnibus accom-

modatis, quoscunque morbos humanum genus hæreditate acceperit, posse persanare. Quicunque se tam insolenter jactant, eos omni ad has sedes nostras aditu studiose diligenterque arceamus : semper vero hæc Domus ita civibus nostris suas fores patefaciat, ut tutelâ suâ ac præsidio eos solos protegat, eos solos foveat ac tollat, quos judices idonei, virtutis et doctrinæ et solertiæ ergo, dignos habuerint qui in hanc Societatem nostram cooptentur.

Hic vero noster cœtus anniversarius, Socii, nobis—eheu ! nimium sæpe—in memoriam redigit quam fragiles, quam caducæ sint res humanæ, atque deberi morti nos nostraque.

“ Omnes eodem cogimur ; omnium

“ Versatur urnâ serius ocyus

“ Sors exitura.”——

Anno superiore HUMIUS, BURTONUS, HAVILANDUS, præstantes hujus Collegii Socii, supremum obierunt diem : qui mihi, honoris causâ, hodie nominandi sunt. HUMIUS quidem quum abhinc complures annos se ab exercendâ Medicinâ sevocasset, ad otiumque perfugisset, senectutem adeptus honestam e vitâ discessit. Morte autem immaturâ ideoque acerbior ereptus est BURTONUS, qui ætate florente inter principes Valetudinarii ex Sancto Thomâ nominati Medicos justam ab omnibus venerationem habebat.

Me vero admonet maxima reverentia, me admonet animus multorum beneficiorum haudquaquam immemor, ne quasi præ-

teriens optimum illum HAVILANDUM commemorem, qui triginta tres annos apud nos Cantabrigienses Regii Medicinæ Professoris munere tam feliciter erat perfunctus. Vos enim meministis, Socii, quibus æque ac mihi contigit inter Academiæ Nostræ Cantabrigiensis cives versari—quos quidem summâ cum voluptate jam frequentes adesse video—Vos, inquam, præclare meministis quanto ille ingenio, quantâque animi benignitate, medendi artem traderet et profiteretur; ita ut vix affirmare possimus utrum homo an præceptor magis esset diligendus.

Sed ut finem dicendi faciam. Quocunque nostros oculos convertimus, Socii, præsertim si præsentia cum præteritis componimus, nihil sane evidentius est quam hanc ætatem nostram plurimis de causis maxime esse conspicuam. Quam multa enim quasi fidem excedentia hoc anno vere mirabili adspeximus! Inter ea quæ nobis hodie Scientia aperit, quæ quidem vix numerari possunt, duo sunt quæ facile præcipuum sibi locum vindicent: quorum alterum, præclarissimo illo Faradaio auctore, lucide ostendit oxygenium eodem plane modo quo ferrum et chalybem magnete affici: alterum—quod Francogallis amicis nostris debetur—pulchre demonstrat per pendulum, quod vocatur, ita ut etiam oculis cerni possit, quomodo terra circum axem se convertat.

Ecce autem Palatium illud quod, mirabile visu nec unquam antea ne fando quidem auditum, quasi virgulâ divinâ ex vitro ferroque constructum, sublimibus columnis se ad cælum tollit!

quo quidem omnes vel ultimæ atque extremæ gentes confluant; ubi omnes ex suâ quæque terrâ artes elegantiores; ubi omnia optime inventa; ubi omnes res pretiosissimæ, quarum opus, si fieri potest, etiam materiem superat; inter se conferantur ac propalam collocentur:—ubi et optimo cuique artifice, nullâ ratione sive partium sive gentium habitâ, præmium ingenii meritum persolvatur; ubi vero potissimum homines ipsi—Nostrates et Hospites—propius alii alios inspiciant, atque inde amore inter se diligant fraterno; adeo ut summa pax et summa tranquillitas per universum terrarum orbem posthac floreant, neve gentes jam gentibus bellum inferre velint. Quod quidem opus, Socii, nonne erat dignum quod celsissimus ille PRINCEPS ALBERTUS, civibus semper nostris merito ac jure tam carus tamque acceptus, primus animo sibi ingenuo effingeret? immo vero quod VICTORIA REGINA NOSTRA GRATIOSISSIMA ET ILLUSTRISSIMA suâ comprobatione benignâ, et suâ auctoritate summâ sustentaret, atque—etiam supra quam ut quisquam spe concipere posset—tam plene cumulateque perficeret?

Nunc certe, si quando, licet verba Divini Poetæ afferre—

“Magnus ab integro sæclorum nascitur ordo.

“Jam redit et Virgo, redeunt Saturnia regna;

“Jam nova progenies cœlo demittitur alto.”

FINIS.

